

NN. XVII - FASC. XI

MENSE NOVEMBRI MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Novembri MCMXXX

Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

PONTIFICII GREGORIANI ATHENAEI NOVAE AEDES INAUGURATAE

Die vi huius mensis Novembris Pontificii celeberrimi Gregoriani in Urbe Athenaei magnificentissimae novae aedes sollemni ritu, adstantibus pluribus Purpuratis Patribus, Episcopis, aliisque ecclesiasticis civilibusque imperiis ac potestatibus, inaugurate sunt.

Honori ducimus in nostras paginas hodie primo loco referre editalem sermonem, quem Cardinalis Caietanus Bisleti, S. Congregationis Seminariis studiorumque Universitatibus moderandis Praelectus, et Summi Pontificis ad rem legatus, coram singulari illo conventu ac frequentia virorum habuit:

Eminentissimi Principes,
Excellentissimi atque Illustrissimi
Domini,
Reverendissimi Patres,
Iuvenes in Christo dilectissimi,

Litteris per Eminentissimum Cardinalem a Secretis Status, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI honorificum admodum mihi munus commisit, augusto Suo Nomine sacro ritu lustrandi atque sollemniter dedicandi magnificentissimas

has novas aedes, quibus carissimam Sibi Universitatem Gregorianam Ipse instruendam ornandamque curavit.

Pro Christi igitur in terris Vicario hodie apud vos legatione fungens, non mea vobis, sed eiusdem Beatissimi Patris verba faciam. Ab Eo enim iussus sum hic palam edicere, Ipsum esse quidem «absentem corpore, praesentem autem spiritu» (cfr. *I Cor.*, V, 3), toto corde et paterna dilectione hic revera nobiscum adesse et *Suae* Universitati faustissima quaeque a Deo adprecari. Huc autem spectare fervida Ipsius vota, ut quo latius dilatata sint spatia veritatis; spatia, inquam, quae veritati docendae addiscendaque aptiora sint et magis decora, eo uberiores hinc illi christiana sapientiae fructus colligantur, quorum hoc Athenaeum semper feracissimus provvidusque fuerit ager.

Nec tantum Augusti Pontificis amorem mirabitur quisquis mente recolit, quanta Ipse iam inde a Sacri Principatus exordio pro dilectissima hac Alma Matre excogitaverit perfeceritque; ut unum alterumve commemorem, eam facultate instruxit aggregandi sibi, post biennium altioribus philosophicis aut theologicis studiis impensum, selectos Doctores, qui honorifico «Magistri aggregati» titulo ornarentur; eam peculiari litterarum latinarum cathe-

dra ditavit; in ea theologiae asceticae ac mysticae et theologiae moralis studium, novis propositis annuis praemisit, vehementer promovit; eam denique (ut praecipua amantissimi Patris beneficia per paucis sed disertis complectar verbis, quae in perennem memoriam hinc marmori impressa ingredientibus legenda obiciuntur) «altiore pro laicis adiecto Religionis magisterio, consociatis Biblico et Orientali Institutis, quo plenior pateret sacrarum disciplinarum palaestra, nova in sede magnificentius constituit».

Quisnam mortalium, humillima Collegii Romani abhinc fere quatuor saeculis cernens initia, tantum subsecutum auscipi poterat incrementum? Talis nempe semper fuit eritque Divinae Providentiae oeconomia: ex grano sinapis grandem educit arborem, «quae facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves caeli habitare» (Marc., IV, 32). Sed haec arbor sapientissimos habuit satores cultoresque, illa, inquam, sapientia insignes, quae «melior est quam vires» (Sap., VI, 1), in cuius comparatione «omne aurum arena est exigua» (Sap., VII, 1): nam, ut scitis, «Collegium Romanum» a Sanctis Ignatio de Loyola et Francisco Borgia conditum est. Quid igitur mirum quod factum sit sicut ager plenus «cui benedixit Dominus?» (Gen., XXVII, 27). Eique large revera Dominus benedixit: ab angusta miseraque prima sede ad Capitoli radices sita, in domos Frangipane, Salviati et de Tolfa ex ordine translatum, incertas rerum vices diu perpessum est, donec «a Gregorio XIII P. M. censu addito aedibusque a fundamentis excitatis, splendidius instructum est anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio, ac tanti e nomine Patroni nuncupatum: Universitas Gregoriana».

Illis in aedibus Collegium Romanum «Religioni ac Bonis Artibus» revera diu multumque contulit; illis in aedibus cla-

riora ipsius lumina in Ecclesia Dei super candelabrum sunt posita, maiora ipsius sidera pulcherrima luxerunt luce, speciosiores ipsius flores bonum Christi odorem aquaversus sparserunt.

Sed, quae est fluxa humanarum rerum conditio, Gregoriana Universitas post tria saecula, aliam hospitalē sedem sibi quaerere coacta est, eamque in aedibus Borromaeis invenit, quas per sexagenariam fere commorationem sibi tam arte devinxit, ut etiam nunc, huc inde commigrans, haud spernendam sui partem ibi reliquerit.

Quod si ab aedificiis externis ad interiorem Collegii Romani vitam oculos convertam, singulas huius fere quater saecularis historiae aetates illustrarunt insignes admodum Doctores, quorum laus in Ecclesia est: Toletus. Suaresius, a Lapide, de Lugo, Taparelli, Perrone, Franzelin, Patrizi, Palmieri, Secchi, Mazzella, Liberatore, Cornoldi, Ballerini, Buceroni, Wernz, aliisque similes (ut de viventibus taceam); talia sunt haec nomina, quibus clarissimum quodque Athenaeum iure in Domino glorietur.

Alumnorum autem non modo frequenta, sed maxime progressus in virtute et scientia prorsus eximii tantis sane praceptoribus digni fuerunt. Nam, ut nihil dicam de insignibus magistratibus, viris principibus, integerrimis civibus, hinc variis disciplinas honestosque mores edocis, quot praeclari Verbi Dei praecones, quot sacerdotes secundum Cor Dei revera facti, quot divinae gloriae studiosi Praesules, quot illustres Purpurati Patres; quin et duodecim Summi Pontifices a Gregorio XV ad beatissimum nostrum Patrem Pium XI ex Collegii Romani aulis egressi sunt. Quid vero Christianos heroas, qui, ad altarium honores evecti, hoc Athenaeum purissima sua circumfuderunt gloria, vobis commemorem? Vobis, inquam, quibus sane compertum est Collegio Romano nec

rosas nec lilia defuisse. Carissima tamen nomina, ut ut notissima, in tanta hodierna sollemnitate silere nefas est: adsunt nobis et Aliae huic Matri de caelo gratulantur Aloisius Gonzaga, Ioannes Berchmans, Ioannes Baptista De Rossi, Camillus De Lellis, Leonardus a Portu Maurizio, Antonius Baldinucci, Rodolphus Aquaviva, Oliverius Plunket, Marcus Stephanus Crisostomus, Gaspar Del Bufalo, Robertus Johnson, Thomas Hemerford, Ioannes Wall, Robertus Southwell, cum reliqua purpurea Anglorum, Martyrum corona, quorum non ita pridem celebravimus triumphum.

Sed unum prae ceteris nomen nunc profecto vestram occupat mentem, vestroque resonat in ore: Robertum dico Bellarmino, qui pristinas Collegii Romani difficultates angustioribus in aedibus alumnus expertus, magnificentiores dein Gregorianas aedes suis immortalibus «Controversiis» illustravit in aevum, in iis Collegium Romanum sapientissimo est moderatus regimine, in iis mysticas in corde Aloisii dispositas ascensiones venerabundus admiratus est eiusque innocentissimam animam inde ad caelestes usque ianuas paene dixerim est comitatus. Dum vero praeclarissimum hoc Collegii Romani lumen ac decus suprema Sanctorum gloria coruscans nunc tandem venerari laetatur, en Gregoriana quoque Universitas in hac digniore sede quasi in nova luce collocata, ad maiora sese protendens. Eam ergo in perpetuam clientelam Sanctus Robertus suscipere velit, eam sospitem servet, prosperam faciat et roboret, quo utilius in dies Sanctae Sedis instrumentum fiat ad maius Ecclesiae bonum promovendum, ad maiorem Dei gloriam ubique et semper procurandam.

Quod ut felix, faustum fortunatumque sit, de mandato et ex auctoritate Ss. Domini Nostri Pii Papae XI mihi peculiariter delegata, Ipsius nomine, postquam has aedes sacro ritu lustravero, huic Uni-

versitati, eiusque Superioribus, Professoribus, Alumnis, omnibus demum hic adstantibus et huic sollemnitati ex corde participantibus, Apostolicam Benedictiōnem impertiar.

MANIUM RELIGIO

Maiores nostri, quum recensendos in deorum numero vellent eos, qui ex hac vita migrassent, partem eorum, quotquot virtutibus emicuerent sublimibus, Superis adscripserunt; partem autem, si qui fuisserent vel mediocribus et vulgaribus, ut ita dicam, decori meritis, siqui sine laude aliqua et bene patratis obiissent, siqui sceleris turpes vivere desiissent nec aliquo facinore optimo labem praeteritam redemisset, ut ille malus, qui omnium pro salute civium supremum provocavit sibi fatum,

praeteritosque dies laudanda morte redemit.

Inferis addicendos credebant, Manesque nuncupabant.

Inter deos igitur utrosque iudicabant, Manesque passim, quadam latitudine legis verboque communi appellatos voluerunt; et ideo de omnibus vita functis praeclara illa XII Tabularum exstitit lex: «Deorum Manium iura sancta sunt!»

Hinc funeralia iura, iura sepulcri, inviolabilia, sancta; et furiis devotus qui sepultra violasset, pacem requiemque mortuorum turbasset; devotus et addictus suppliciis.

De primis, ea satis fore credo, quae a M. Tullio Cicerone in somnio Scipionis traduntur, quasi ab ipso Africano Maiore Minori Africano filio prolata: «Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto. Omnibus, qui patriam conservarint, adiuvarint, auxerint, certum

esse in caelo definitum locum, ubi beati aeo semipaterno fruantur. Nihil enim est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur; harum rectores et conservatores, hinc-(de caelo)-profecti, huc revertuntur... Immo ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt... Nisi vero Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae Terra dicitur; hisque animus datus est ex illis semipternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae globosae rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamini.

Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae, quum sit magna in parentibus et propinquis, in patria maxima est; ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt, et, corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides..., quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis». ¹

Ne sim nimius, ista sufficiant, nec alia huiusmodi ab aliis exquiram, quum in Cicerone uno tanta sit scientia, ut, si illum legeris, omnes penitus legeris priscae antiquitatis optimos philosophos et scriptores.

Circa illos autem, qui mediocribus contenti meritis ita vixerunt, ut exiguum coentes virtutem nihil magni adstruxerint, quasi resides et palustres aves valle et

¹ Cic., *Somnium Sciponis*, § III.

stagno contenti, illa vergiliana sit satis memorare carmina, quae in VI *Aeneidos* libro continentur. Hisce quidem Elysia sunt data piis, qui magno quamvis sine facinore, aut ita egregio, quo Superis se miscere potuissent, humiliores tamen coluere virtutes, nec sibi nec aliis nocuerunt, diis, parentibus, maioribusque obsequentes vixerunt, et quantum ferebat humana fragilitas, graviori culpa caruerunt. Sed hasce regiones poëta locos appellat

Fortunatorum nemorum, sedesque beatas,

ubi largior aether, purpureumque lumen, quibus sol proprius, et propria sidera. At ante Elysi variis exercebantur poenis, veterumque malorum supplicia expendebant, et sive sub gurgite vasto insectum eluebant scelus, seu suspendebant ad ventos, seu igne exurebantur; exinde, debitam adepti purgationem, per amplum mittebantur Elysium,

*Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam ablueret labem, purumque referret
Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.*

Absit a me superaddere, quae Macrobius ad rem adduceret in libro circa somnum Sciponis, itemque in *Saturnalium libro*, non uno, sive per Vergiliana recurrat vestigia sive per philosophica sui temporis gradiatur. Satis aperta sunt, patentque vel caeculentibus illa, quae retuli, et potius ad ea venio, quae iam ab exordio elucubrationis huius, qualiscumque ista fuerit, spectabam.

Manium religio, sive caelestibus additorum, sive per Elysiorum amoena ambulantium, sive aliquid admissum plus minusve hoc expiantum, quo expiato, puris et undequaque fortunatis aggregarentur, in ipso iure naturali est; nam iure, minoribus nobis in terra degentibus, illud venerandum videtur, quod diis propriis est immortalibus. Cultus pariter, quamvis pietati proximus, etiam illis debetur disci-

plina illa maiorum nostrorum, scilicet Manibus eorum, qui vita excesserunt etsi gravioribus imbuti sceleribus, poenis inenarrabilibus post obitum adstringendi. Pro vulture enim iecur immortale nostro tundentem, nihil aliud intelligi voluerunt quam tormenta conscientiae, obnoxia flagitio, visera, ut ita dicam, animae interiora rimantis, et ipsa vitalia vitae indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, angores, moerores, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tamquam fibris renascentibus inhaerendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua, se iudice, nemo nocens absolvitur, nec de se potest suam vitare sententiam, ideoque vermis eius, uti ait scriptura, non moritur. Sed pietas quaedam erga maiores natu, etsi reos, emergit, sed commiseratio quaedam emicat in nobis ex atrocitate, qua cruciantur dum agunt sine luce perpetuos dies, dum in perpetuis tenebris noctes vigilantur amarae. Quidni? Hermagoras ille Platonicus saecula infinita dinumerans, quibus nocentum animae, in easdem poenas saepe revolutae, sero de Tartareis emergere permittuntur, eas ad naturae suae principia, quod est caelum, tandem purgatione impetrata, remeare docebant: necesse enim est omnem animam ad originis suae sedem reverti. Hinc quae virtutibus deditae corpus tamquam peregrinae incolunt, cito post corpus velut ad patriam ab exilio revertuntur: quae vero corporum illecebris veluti suis sedibus inhaerent, quanto ab illis violentius separantur, tanto serius ad supra regredientur. ¹ Propterea sollemnia pacandis et luendis Manibus Februia constituta sunt; iuvatque Ovidii poëtae subiicere, quae ad nostram rem leguntur in *Fastis*:

*Februa Romani dixerunt piamina Patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem...
Mensis ab his dictus; secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent;*

¹ MACROB., *Somn. Scip.*, lib. II, c. XVII.

*Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris.
Tunc quum ferales praeteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamina causam
Credebat nostri tollere posse senes.
Graecia principium moris fuit, illa vocentes
Impia lustratos ponere facta putat...
Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Flumine tolli posse putatis aqua!*

Quae quum ita fuissent, nam vel de pessimis maiores nostri non desperabant aliquando regressuris in caelum, a quo devios exsulesque diu se voluissent, lege illa communiter cautum pro Superis et Inferis Manibus est: « Deorum Manium iura sancta sunt! »

Verumtamen Christianae religionis est semper et fuit, quae vera rectaque, confirmare; quae fluxa, revocare; quae errata, emendare; quae falsa vel improba, repellere. Quando igitur de vita functis actum est, ipsa, quae bona et recta erant, ultro probavit, atque hinc Sanctis omnibus collective, quotquot in gloria semiperna sunt, diem constituit recordationis illustris Kalendas Novembribus; mox, qui sequitur dies, mortuorum suffragiis, piaminibus, Februis sacer est; et formidabili eadem Religio anathemate a defunctorum sepulcris profanum quemque arcit. De semipernum damnatis nullam mentionem esse voluit, quia in inferno nulla est redemptio; commiserans tamen et pia, non maledicit.

P. d. V.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA ¹

De substantiis quae eleganter in integrum sententiam migrant.

I.-Substantiva abstracta, ea potissimum quae sunt casus verborum percipiendi et asserendi, eleganter migrant in propositionem.²

¹ Ctr. fasc. sup.

² Huiusmodi substantiva abstracta interdum includuntur in propositione sive infinita, sive inter-

1^o sive infinitam; v. g.:

Tua et mea interest te valere (= tua valetudo) (Cic.).

M. Catonem censorum tam reipublicae romanae profuit nasci (= ortus M. Catonis censorii) quam Scipionem (Sen.).

2^o sive interrogativam indirectam; v. g.:

In oratoribus admirabile est quantum inter omnes unus excellat (= eius excel-lentia) (Cic., *Orat.*, 2, 16).

Qualis sit animus (= naturam animi) ipse animus nescit (Cic., *Tusc.*, 1, 22).

Plane quid sentiam (= sententiam meam) enuntiabo (Cic., *De orat.*, I, 26, 119).

Nihil necessitatis afferit cur nascantur animi (= ortus animorum) similitudo (Cic.).

Iam antea dubitabam venturae esse- legiones (= de adventu legionum) (Cic.).

II. - Substantiva abstracta converti praeterea possunt in propositionem coniunctioni subiectam.

1^o sive completivam; v. g.:

Hoc ut sibi liceret (= hanc licentiam) impetraverat (Liv., XXIV, 3, 15).

Tibi quod abes (= de tua absentia) gratu-tuler (Cic., *Fam.*, II, 5).

Agamemnon non dubitat quin Troia sit peritura (= de Troiae ruina) (Cic.).

Quid obstat quominus sis beatus (= tuae beatitudini)? (Cic.).

2^o sive non completivam, quae circumstantiam denotat, ut:

a) tempus; v. g.:

Socrates, quum triginta tyranni essent (= triginta tyrannorum tempore) pedem porta non extulit (Cic.).

Caesar, postquam in Treveros venit (= post suum in Treveros adventum), Rhe-num transire constituit (Caes.).

rogativa indirecta: hoc modo optime circumscribuntur; v. g.: Si largitionem factam esse confiterer (Cic., *Pro Mur.*, 3, 5). — Qualis differentia sit honesti et decori intelligi potest (Cic., *De Off.*, I, 27, 94). — Restat ut qualis eorum natura sit, consideremus (Cic., *De Nat. deor.*, II, 17, 45).

Quum causa ageretur (= per actionem causae) (Cic., *Caecin.*, 10, 30).

b) finem; v. g.:

Equites misit ut eos persecuerentur (= ad eorum persecutionem) (Caes.).

Id agit ut se conservet (= ad sui conser-vationem) (Cic.).

c) concessionem; v. g.:

Eloquentiae studendum est, etsi ea quidam perverse abutuntur (= non obstante abusu...) (Cic.).

Nihil agis, dolor: *quamvis sis molestus*, (= non obstante tua molestia), nunquam te esse confitebor malum (Cic.).

d) comparationem, etc., v. g.:

Ciceronem, ut meretur (= pro merito), amo (Cic.).

Basilus, ut imperatum est (= secun-dum iussa), facit (Caes.).

III. - In propositionem relativam mi-grant.¹

1) Nomina substantiva, quo magis elueant aut pressius mens cogitatioque dicentis exprimatur, non raro novam, cui includantur, propositionem relativam requirunt. Huius generis praecipue est substantivum continuatum, quod oppositum dicimus; v. g.:

Qui defctionis autores fuerant (= defctionis autores), comitati eos, ex civitate excessere. (Caes.).

Iusta gloria, qui est fructus (= fructus) verae virtutis (Cic., *In Pis.*, 24, 57).

Gomphos pervenit, quod est oppidum primum (= oppidum primum) Thessaliae venientibus ab Epiro (Caes.).

NB. — Substantivo apposito quod sic in proposi-tione relativa includitur magis definitur substantivum principale, si propositioni relativae pronomen demonstrativum «is» praeponueris. Quod fit, praesertim post nomen proprium; v. g.:

Quintus Metellus, is qui bello Punico secundo consul fuit (Cic., *Brut.*, 14, 57).

Stratio, is qui physicus appellatur (Cic., *De Nat. deor.*, I, 13, 35).

2) Propositioni relativae semper includitur sub-stantivum continuatum seu appositorum, quod logice relatiui antecedens est, v. g.:

Constantes amici, cuius generis (= genus cuius...) est magna penuria (Cic., *De Am.*, 17).

Santones non longe absunt a Tolosatium finibus quae civitas (= civitatis quae...) est in Provincia (Caes.).

1^o et substantiva abstracta; v. g.:

Non audimus quae ab natura mone-mur (= naturae monitiones) (Cic.).

Ea quae dicuntur a testibus (= dicta testimoniis; testimonia) (Cic., *Pro Font.*, 10, 23).

Totum se conformare ad id quod animo intenderat (= rem intentam) perficiendum (Cic., *Phil.*, X, 4, 9).

2^o et substantiva concreta, ea praesertim quibus personae designantur, quarum actio vel conditio est mutabilis; v. g.:

Nihil est in dicendo maius, quam ut faveat oratori is qui audiet (= auditor) (Cic.).

Eoque adduxit eos qui erant iudicaturi (= iudices) (Cic., *De Suppl.*, I, 3).

Praemia iis qui optime cecinissent (= optimis cantoribus) proposita erant (Cic.).

Ea quae gignuntur e terra (= plantae) (Cic., *De Fin.*, V, 9, 26).

Ea quae ignoramus, ea quae scimus (= res nobis ignota, res nobis nota) (Cic., *De Nat. deor.*, 2, 59).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

JOSEPHUS FONTS

Aliam Alma Roma colaboratorum suorum iacturam experitur, eamque satis dolendam. Die enim xvii mens. Octobris vita letaliter decessit clarus vir et presbyter Iosephus Fonts, litterarum humaniorum professor in Seminario Dioecesis Vicensis apud Hispanos.

Ante annum, Barcinonensis Internatio-nalis Expositionis portenta lectorum no-strorum oculis larga vena ostendere inco-perat, et eo, quo procederet, animo, assi-duam redactioni operam praestitutur esse crederes. Quam est lacrimandum magis in dies ad crescere scriptorum Lat-inorum desiderium! Ceciderat Reuss, ceci-derat Ramorinus, ceciderat Francesia, et Vignas, Iacobellius.; nunc autem, quo nostrum pectus proprius adhuc concutitur, cecidit Fontius, popularis noster rerumque nostrarum studiosissimus atque cupidis-simus.

Gravissime laborare eum accepimus in eunte superiore mense, et litteras statim misimus ad R̄num Drem. Antonium Reixach, eius in litteris latinis tradendis assi-duum conlegam, requirentes quomodo ille se haberet, an spes aliqua valetudinis adful-geret. Profecto litterae celeriter sunt red-ditae, quae animum non parum recrea-runt: eum nempe mortis periculum tan-dem evasisse, medicorum iudicio. Nos interim et precibus insistere et piaculis Deum lacessere, ne socius carissimus nobis

aufferretur. Qui vero suaviter et ortiter omnia disponit, sese exorare amplius non est passus, atque inopino nuntio die XVII de obitu fratris in Domino carissimi certiores facti sumus.

Paulo ante de status discrimine conscientis, qua semper fuit non facta pietate, sese ferventer accinxit, ut Viaticum solemniter exciperet, quo perviae sibi fierent fores aeternales. Ad vesperam ergo diei Iovis, ut mos ei gereretur, quem ardentem manifestabat, comitate magno alumnorum Seminarii coetu cum dignissimis Professoribus, Eucharistico Pane iterum atque postremum sese refecit. Serena facie, placida mente de rebus domesticis vel minimis disposuit, atque singulis amicitiae signis gratum ostendebat animum. Mane tandem subsequente, dum litaniae Sanctorum ab adstantibus recitantur, brevi agone ad ultimum usque spiritum, compos sui omnino, sancte obiit.

Aegrotanti nullo temporis momento auxilia et spiritualia et corporalia defuerunt, de quibus ille maximam referebat gratiam. Simul ac de gravissimo vitae periculo fuit commonesfactus, vere aemulanda animi promptitudine, Domino se devovit, quod eo magis demireris, quo tempora feliora sibi viderentur exspectanda. Quam suis esset carus, neverit is qui summam caritatem eiusdem in suos expertus aliquando fuerit. Praeter hunc domesticum amorem, alium sovebat ardentier in eos qui latinitatis studia, quae ei cordi erant, excoherent. Socios in re habuit carissimos, non solum praeclaros Vicensis Seminarii latinitatis praceptores Rm̄os Antonium Reixach, Iohannem Raulet, Isidorum Cunill, sed alias etiam et nostrates et exteros, Reuss et Galdi apud Italos, Avenarium Germanum, Thomam Vignas et Garrido Hispanos. Nos vero eo etiam quattuor annos familiariter usi sumus, neque postea absentes corpore, animo dividebamur.

Carmina pangebat non invita Minerva, quae haud varium reddiderunt sonum. Quotannis gratulatio rem Episcopo, die eius nominali, modulabantur, neque reticebant in celebri disputatione publica, quam, honoriandi causa sui patroni, in festo Sancti Thomae Aquinatis, Vicensis Seminarii alumni singulis annis sollemniter habent.

Clarus ille Episcopus Torras et Bages, «fama super aethera notus», magno eum prosequebatur amore, cui quam responderit sincerissime testes sunt poēmata, quae et vivo et mortuo dedicavit, tota in eum pietate et studio referta. Quondam in conventu, quem de more in aula Seminarii cum Professoribus habuit amanter, Fontium appellasse fertur *partulum nostrum Horatium*. Eius exstant opuscula *Nova lyra*, *Episcopalia*, *Tentamina*, *Hexametri et Odarum liber*, cui postremam manum nondum imposuerat, praeter quosdam in *Alma Roma* articulos in lucem editos.

Hortae, in vico provinciae Barcinonensis, natus est anno MDCCCLXXVII. Caecili adflatui obsequens, ad Seminarium Vicense se contulit, ubi Sacerdotalibus studiis operam frugiferam dedit. Sacram ordinationem ubi recepit, paroeciali munere functus est, donec anno MCMXIII a perinlustri Episcopo Torras et Bages ad cathedralm Rethorices est cooptatus. Latinitatis excultor egregius fuit, tum soluta, tum vincta oratione.

Haec dixisse sufficiat de amico desideratissimo, ut noster tantae iacturae dolor aliquatenus sublevetur.

Cervera (Lérida) in Hispania.

EMMANUEL JOVÈ, C. M. F.

His maximis moeroris sensibus *Almae Romae* Moderator et scriptores ex animo participamus, dum clarissimi viri suave carmen, ad commentarium nostrum recens missum, maeste edimus:

SANCTI JOSEPHI HORTULUS

*Joseph delicie floridus hortulus,
pomis et vario fertilis arbore,
quem munibat arundo,
margo, paucaque vimina.*

*Augustae causulae iunctus erat suaे,
et, quamvis spatius exiguis nimis,
nil illi deerat quod
usus pauperis exigit.*

*Fabrilis requies est operaे hortulus
Joseph alma simul; namque perambulat,
vixdum rite diei
pondus perficit, hortulum.*

*Nunc, si poscit aquam, sedulus irrigat
stirpem, fonte levans de liquido sitim;
usus saepe ligone,
vellit noxia lolia*

*nunc; committit humo nunc nova semina.
Udo vere novo, gaudet ut hortulo
quum lecto decoratur
fructu floreque candido!*

*Tum mulcent Zephiri le:itter aëra:
tum flos ambrosiis halat odoribus,
exilique volucris
fundit gutture carmina.*

*Nigram munificus cultor hirundinem
clara voce canens excipit hospitam,
quae sub margine tecti
nidos instruit aureos.*

*Joseph, mane novo, surgere sueverat
et pictam ex niveis nectere liliis
gemmatamque corollam,
sertumque ex teneris rosis.*

*Felix quoque die si nova Virginis
florum ferre potest munera! candida
Divo lilia Iesu
si donare potest sua!*

*Heu! Fabri subitis pomifer hortulus
albescit gelibus villaque Nazarae!
dimissis rosa marcat,
marcent lilia frondibus.*

*Ut Joseph doluit? quid sine liliis
expers quid faceret purpureae rosae?
suetum quomodo sertum
nectet suetaque lilia?*

*Dum haec secum tacitus mente sub anxia
volvit, non Pueri et Virginis immemor,
mirum! sicca prius, mox
florens virga nitet manu.*

JOSEPHUS FONTS.

DE EUCHARISTIAE CULTU

APUD VETERES CHRISTIANOS¹

Saeculo secundo, uti vidimus, eucharistia convivii potius per figuram adumbrata fuit, cui canistra septem vel duodecim, fragmentis panum conferta, conspiciuntur addita. A saeculo vero tertio convivium sere nunquam apparet, sed non desunt canistra septem, cui symbolum consecrationis adiunctum est, nempe Christi effigies, qui panes, virga tangens, multiplicat. Panes autem cruce signati exhibentur, ac non nunquam Christi monogrammate, de cuius significazione eucharistica dubitare nequimus. Si enim ipsa persona Christi monogrammate significabatur, etiam panis ut Christi corpus accipiens videtur, si eiusmodi sigillo sit instructum; quod ipsa figurae natura certissime suadet.

Verum, ut iure Wilpertus animadvertisit, altera esse potest Christi miraculum tale patrantis figurae significatio; nam in Constitutionibus apostolicis² istud, non secus atque alia quaedam Christi miracula et biblica prodigia, ratio veluti sperandae resurrectionis affertur. Utra vero in sin-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Const. Apost., 5, 7; P. G., I, 843.

gulis ex viginti novem huius miraculi representationibus sit determinata significatio, dicere haud facile est.

Idem et de miraculo quo aquam Christus in vinum mutavit est asserendum; quod quidem miraculum tunc appareat, quem piscis in panum multiplicationis representationibus depictus iam non cernitur. Praeterea mutatio haec, licet quater solummodo in picturis coemeterialibus inveniatur, tamen nonnisi eodem circiter tempore apparat, quo de ea a Christianis scriptoribus mentio fit. Primam enim huius Christi miraculi adumbrationem prima saeculi tertii parte depictam reperimus; primusque autem auctor, qui de eo veluti de eucharistico loquatur symbolo, Cyprianus est, quem medio saeculo tertio flouruisse omnes apprime norunt.¹ Eodem sensu Cyrilus Hierosolymitanus aliique Patres loquuntur,² necnon eamdem hanc cogitationem liturgia praebet.³

Mirum prorsus videtur quod quater tantum hoc miraculum depictum invenimus, quum in anaglyptis saeculi quarti quam saepissime appearat.

Sed singula exempla expendamus.

Prima huiuscmodi representatione in coemeterio Sanctorum Petri et Marcellini habetur, atque ad priorem saeculi tertii pertinet partem. Christus miraculum patens ad dexteram nuptialis convivii depictus est, atque hoc symbolum una cum baptismo symbolo et figura coniunctum est; nam in eodem arcosolio et Moysis rupem percutientis et ipsius baptismatis representationes adsunt, una cum figura orantis, quae, sicuti innuimus, eucharistiae effectum subindicat.

¹ S. CYPRIANUS, *Ep. LXIII*, 12; *P. L.*, IV, 383.

² CYRIL. HIEROSOL., *Catech.*, XXIV, (*Mystag.*, IV); *P. G.*, XXXIII, 1908. — Cfr. S. AMBROS., *De virginibus*, III, 1; *P. L.*, XVI, 219sq. — S. AUGUSTIN, *Tract. in Ioan.*; tr. VIII, 1, 3; *P. L.*, XXXV, 1450.

³ *Missale Gothicum*, *P. L.*, LXXII, 242; MURATORI, *Liturg. Rom. vet.*, II, p. 542.

Repraesentatio altera item in Sanctorum Petri et Marcellini coemeterio exstat, atque multo priore complexior. Scilicet in quadam arcosolio, ubi medium appetet convivium septem personarum, Christus ad dexteram panes multiplicans, ad sinistram aquam in vinum mutans ostenditur. Iam si animadvertis mensam caelestem esse beatitudinis symbolum, quis negabit eucharistiae sacramentum, duabus subspeciebus hic repraesentatum, praemio aeterno, sive caelesti convivio, coordinatum ex industria ab artifice fuisse? Imago haec medii saeculi quarti esse videtur, aliamque huiuscmodi exstisset eodem in coemeterio picturam Wilpertus affirmat, hodie quidem maxima ex parte destructam; non ita tamen, ut nequeant certo eius argumentum ac partium dispositio colligi.¹

Quarta huius miraculi repraesentatio in Aegyptiacis catacumbis Alexandrinis reperitur, atque ad tertium quartumve saeculum pertinet. Picturae in parte media est Christus sedens, ad cuius pedes duodecim sunt canistra panibus cruciferis repleta. Sinistram Christus super pisces sibi ab Apostolo Andrea porrectos extendit super panes, quos Petrus apostolus offert.² In parte picturae dextera trium personarum conspicitur convivium, quod idem atque eucharistica iam a nobis considerata convivia adumbrat, nempe sacram synaxis. Scriptum quippe est supra huius convivii imagine graecis litteris quod latine sonat: «Christi eulogias manducantes». In sinistra denique parte nuptiae Canae ac miraculum aquae in vinum conversae clare perspiciuntur: plures scilicet viri et mulieres discubentes; dein Christus, Maria et servi stantes adsunt, propriis inscriptionibus distincti: Iesus, Sancta Maria, Servi.

¹ Cfr. WILPERT, *Le pitture*, etc., text. p. 278-279; tab. 186.

² Nomina graecis litteris ibidem apposita sunt.

Iam plura adveniunt circa huius picturae figuram animadvertisenda; nempe si unquam de picturarum harum eucharistica significatione dubium supersuerit, id prorsus ante hanc effigiem evanescat oportet. *Mystica* namque *Christi dona* canistra continent, atque cibus, quo discubentes aluntur *Christi eulogia* appellatur, ipsum scilicet corpus et sanguis Iesu Christi. *Eulogia* enim, apud novum Testamentum, benedictionem gratiarumque actionem enunciavit; verba autem εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν tam in multiplicationis panum quam in eucharistiae institutionis narratione promiscue adhibita sunt.¹ Calicem benedictionis Christi sanguinem S. Paulus vocal: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας.² In Aegypto insuper vox εὐλογία antonomastice eucharistiam nuncupabat, ut e Cyrillo Alexandrino aliisque scriptoribus eruitur; et licet tardius etiam panis solummodo benedictus interdum «eulogia» fuerit vocatus, alter tamen hic sensus in praesenti excludendus est casu, alias propter rationes, omnino videtur. Haec namque pictura in zoophoro absidis cernitur, in qua ara ad sacra facienda erat erecta; qui vero elementa porrigunt multiplicanda, apostoli sunt Andreas et Petrus, non autem, iuxta evangelicam narrationem, Andreas et Philippus; ministerium denique apostolorum clare eucharistiae distributionem, secundum Patrum interpretationes innuit.³ Denique duodecim canistra, potius quam septem, apud Alexandinos eucharistiae symbolum exstisset videtur; nam etiam in sybillino quodam carmine, Alexandriae concinnato legitur:

Δώδεκα πλερόστει κοφίνου εἰς παρθένον ἀγνήν.⁴

¹ MATTH., XIV, 9; XV, 36; XVI, 26 et 27. MARC., VI, 41, XIV, 22 et 23. LUC., IX, 16; XXII, 19. IOANN., VI, 11.

² I ad Corinth., X, 16.

³ S. HILARIUS, *Comm. in Math.*, XIV, 10-11. S. AMBROSIUS, *Expos. Evangelii secundum Lucam*, lib. VI, IX, 84.

⁴ *Carmina sybillina*, lib. I, vers. 339.

At aliud est monumentum nostrae rei lucem afferens; id est eburnea quaedam pyxis ad corpus dominicum asservandum destinata, Carthagineque inventa, peritum iudicio ad quartum pertinens saeculum, in qua idem atque in pictura Alexandrina repraesentatur, sed praeterea, praeter duos apostolos elementa multiplicanda Christo porrigit, etiam alii sunt, qui manibus velatis panes a Domino acceptos deferunt distribuendos. Repraesentatio haec in mentem verba revocat, quae, in basilica Vaticana, quum Marcellinae virginale conferret velum, pontifex Liberius habuit: «Bonas nuptias, filia, desiderasti. Vides quantum ad natalem sponsi tui populus convenerit, et nemo impastus recebit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vino convertit (Ioan., II, 9). In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis, quae prius erat obnoxia vilibus naturae materialis elementis. Hic est qui quinque panibus et duabus piscibus quattuor millia populi in deserto pavit (Luc., IX, 13sq.). Plura potuit, si plures iam tune qui pascerentur fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit; sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur a caelo». Igitur si hac in pyxide panum multiplicatio symbolum eucharistiae est, etiam in Alexandrina pictura, quae super ipso altari elaborata fuit, idem prorsus significat.

In sinistra vero Alexandrinae picturae consideranda parte, quamvis propria nostrum ad incoepit attineat, non immoratur; nam ea quae praecedunt satis iam eam illustrant.

Alioquin aquae in vinum conversio, quam perraro in picturis coemeterialibus apparere diximus, in sarcophagorum anaglyptis, e contra, fere nunquam deest, et tunc aliquando ita, ex dispositione, panum multiplicationi est opposita, ut de eius significatione nullum superesse dubium possit.

S. S.

CERTAMEN POETICUM LATINUM
LOCIS IN BRUTTIIS A CARMELO TRIUMVIRI CONSTITUTUM

Accepimus, et libenter edimus:

De XXXVIII carminibus ad certamen huius anni MCMXXX opportuno tempore missis, ita relatum est:

Viginti nimis exilia aut nimis scatentia mendis visa sunt, quam ut iudicibus moram facerent; statimque sunt seposita.

Aliquamdiu eorum animos carmen detinuit cui titulus *Somnium inane*; impensis autem quae *Heroes Heroumque magister*; *Nymphae monitus*; *Pio XI annum emenso quinquagesimum ab inito sacerdotio inscripta erant; item quae paulo meliora apparuerunt: Matres; Felis viator; Lucas Vergili; Venatio quintilis; Ad lusciniam; Redcantes ex urbe coloni*; non ita tamen, ut aliqua laudis nota distinguerentur. At horum scriptores carminum spem quandam faciunt sese praestantiora deinceps exaratu.

In limine laudis, quippe ubi plura, si non cuncta, niteant, tria digna sunt quae collocentur: *Convivium Neronis*; *Salve te, flores Aeneadum*; *Vergilius ad Cilnium*; totidem vero quae laudem mererentur: *Cambyses*; *De commodis quae ex fluminibus percipiuntur*; *Fulvia et Paulus*, quorum scidulis apertis auctores patuerunt Joseph Morabito rheginus, Acastes Bresciani ex Phalisconis Monte, Vincentius Polydori aretinus.

Denique iudices, nullum ita absolutum numeris esse arbitrati caram, quod aureo numismate donaretur, duo ultima censuerunt *Magna Laude ornanda ex aequo*: *O ubi pueri et Voces rerum*, quorum alterum losue Salatiello panormitanus cecinit, alterum Ios. Morabito, Catacii, in Lycaeum «Galluppi» bonis litteris tradendis doctor.

¹ Cfr. fasc. sup.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur, his legibus:

I. ne carmina L breviora neu CCC versibus longiora sint, neve prius edita aliove ex sermone translata.

II. ut trinis quaque exemplaribus Britannico portatili prelo, seu machina ad scribendum, nitide impressa, sententia munita quam obsignata scidula carmini adjuncta, poëtae nomen et domicilium continens, prae se ferat, hac inscriptione: *Al Direttore del Collegio «Principe di Piemonte» Gerace Marina, Calabria (Italia)* prid. Kalendas Apriles MCMXXXI mittantur.

Tres viri, poësis latinae quam qui maxime peritissimi, de carminibus tempore missis post tres menses referent, omnium optimo praemium decernentes aureum numisma mille italicarum libellarum egregio artis labore perfectum, et pariter magna, quae dicitur, laude digna, si qua videbuntur, addito insuper diplomate, ornabunt. Carmina sive Praemio sive Laude ornata in ius Conditoris certaminis cedent.

Datum Locris, in Bruttiis, Nonis Nov. MCMXXX.

DE INITIIS ET DE PROGRESSU REI CATHOLICAE
INTER GENTES IAPONIAE¹

Postquam Missionariis facultas data est, eaque satis arta principio, ut ex portubus in interiore terram progrederentur, etiam paganos ad amplectendam religionem catholicam invitare cooperunt, et quod brevi ante cessaverat persecutio eius religionis, quam rem detestandam tantum noverant, non catervatim homines Christianos se esse professi sunt. Et tamen generosorum virorum labor et

patientia etiam tum fructum est consequutus. Res missionaria prospere procedebat, quum nonnulli morae intulerunt illae victoriae, quibus Iapones anno 1894 Sinenses, et anno 1904 Russos devicerant. Insita genti superbia, quum antea tamen temperata esset, quod se inferiores esse intellegent Europeis populis, mirum quantum crescebat: nam quid sibi, magnae nationis Europaeae victoribus, Europa iam religione et Deo Europae opus esset? Dici vix potest, quid illis annis tulerint Missionarii, quum nihil labore suo profici videretur. Quum etiam is animorum ardor deferbusset, res Christi paulatim aucta est. Crescit Christianorum numerus sensim et assidue, et qui semel catholicae Ecclesiae dederunt nomen, longe plurimi vita vere Christiana excellunt.

Iam vero quid de re catholica in Iaponia spei est? Quattuor maiores et plus quingentae minores insulae, ex quibus tota Iaponia constat, extenduntur in trecenta octoginta millia et mille ducenta quinquaginta quadrata kilometra cum millionibus hominum sexaginta, ex quibus nonaginta millia catholicorum sunt. Catholica Missio et numero et Missionario instrumento inferior est Missione protestantica mirifice augescente. Quod dicunt missionem Iaponiae in difficultimis esse orbis terrae, non difficultatibus terretur Missionarius. Difficultates propriae Iaponiae partim emergunt ex antiquissima terrae religione cultuque, ex ingenio et historia gentis, partim ex hoc, quod Iapones perbrevi tempore ad se transtulerunt hodierna inventa artium totamque vivendi rationem. Sed difficultatum moles ponderosissima deploranda illa catholicae missionis inopia est. Nam qua stipe sustentatur Iaponica missio, fructum capere poterit in hominum nigrorum terris; sed parum hoc est in ea gente, quae ad summam conformata humanitatem longe alias fidei promovendae vias habeat, alium apparatus. Utinam vero aliquando nostri intelligent missionem Iaponiam in recenti positam imperio singulari dignam esse cura!

Et Missionarii quidem officium faciunt impigre: multa etiam sunt, quae spem eorum alant, firment perseverantiam. Ipsa gens partim missionis opere, partim eo, quod habuerunt cum Europaeis commercio, instituta Christiana cognovit. Iapones natura generosi et fortis ad altiora et ad bonorum fines nituntur, magna sunt humanitate et moderatione, ut omnes fere nationes orientis vehementius morali philosophia ducantur, quam intellectiva. Iam nunc populus Iaponum universus de re Christiana multo aequius atque lenius iudicare coepit, quam idem populus ante viginti annos iudicabat. Et bello mundi composito, catholica Ecclesia magis subiecta oculis est; quid intersit inter catholicam professionem et protestanticam magis et magis agnoscatur. Ne illud quidem prætereundum est, quod religio nostra a primariis viris etiam urbis Tokyo accepta est. Si non multi sunt, sunt tamen catholici inter optimates, inter doctos, tribunos, inter homines omnium ordinum. Iaponia terra catholica fieri potest, et, si florere velit, fieri debet, quia religionis catholicae præceptis ut cuius maxime horum natura hominum facilime absolvitur atque perficitur. Magnas etiam hocce tempus habet opportunitates. Optima quaeque in posterum sperare licet, vel, verius ut dicam, sperare liceret, nisi miserrima teneremur rerum inopia. Quo quis inter Iapones magis imbutus humanitate est, eo magis re Christiana ducitur. Quid ergo Missionarii faciunt, quo facilius litteratorum generi aditus pateat? Instituerunt paucas scholas maiores, praeterea nihil. Earum igitur scholarum augere debent numerum, excitare debent instituta typogra-

phica, quo uberius, quae ad veritatem catholicam pertineant, discendi cupidis suppedient.

Sed hoc ipsum vel luctuosissimum Iaponiae Missionariis est, quod, quum videant atque perspiciant, quid facta sit opus, tamen facere non possint, quia ad omnia desunt facultates. Utinam saltem in unaquaque maiorum urbium maior aperiri possit schola! An non ex omnibus affertur missionibus, quanto cum fructu rei missionariae administrentur scholae? An non in ipsa urbe Tokyo videmus per scholas maiores religionem inferri in potentiores auctoritate circulos?

Deinde quantum boni afferret typographica ars litteratis potissimum et in praesentia rerum, quum problema sociale in dies magis disceptatur miraque multorum, etiam eruditorum, mentes in his rebus obtinet obscuritas, quum nihil firmum atque fixum est in litteris, in periodicis libellis, in philosophia! Hic Ecclesia catholica quam opportune se ducem offerret, cuius tam clarae, tam iustae, tam sanae sint regulae sociatae vitae, tam certa praecepta! Hoc nonne tristissimum est funesta rerum inopia Missionarios cogitantas opportunitates in ea gente, cuius tanta sit auctoritas, praetermittere? An putas missionem, quamdiu ita egeat, Iaponibus commendari illa catholica beneficentia? Qua Ecclesia in omnibus terris plurimum semper proficit, ea in Iaponia per eandem inopiam exiguis continetur finibus. Neque tamen quidquam ita deplorandum est ut illud, quod nunc Missionarii nimium intercludunt praecipuo officio ac munere suo, divulgatione evangelii. Quum Iaponica missio omnis fere urbium sit, propterea quod qui in urbibus vivunt, paratores esse videantur ad suscipiendam Christi religionem, centenas invenias in Iaponia urbes, in quibus nulla sit missionaria statio, nemo sit Missionarius. Ex milibus vero pagorum paucissimi

missione catholica tanguntur, quum protestantibus certissima atque uberrima ad agendum afferri soleant subsidia.

Sed iam accipe quae ad Nagoyam, praefecturam apostolicam pertinent. Nagoya, una ex duodecim regionibus missionaribus, sita est in medio maximae insulae Iaponiae et ad occidentem lambitur mari Iaponico, ad orientem tranquillo oceano. Incolarum sexages centena millia sunt. Urbs Nagoya, praefecti sedes, non genta millia capitum habet, omnibus hodiernis institutis ornatur, magnitudine et potentia tertia imperii urbs quaestuosis artibus mercaturaque referta est. Qualem igitur putas sedem esse missionis in tanta urbe collocatam? Summa intentione virium duas locavimus in ea statione, quum protestantes in eadem urbe triginta habeant. Et illarum stationum missionarii magni qui circum sunt, pagi crediti sunt cum multis oppidis. Quid multa? Ut nunc est, singulis sacerdotibus singuli millions hominum, quorum saluti prospiciant, commissi sunt. Et duae illae statuaculae, quidnam sunt ad septingenta viginti octo Buddhistarum et ducenta septuaginta Schintoistarum templa per totam urbem disposita? Mirumne tibi est, si Missionarius in tanto apparatu paganorum nullus sibi videtur esse?

Itaque praeter cetera condi stationes oportet, aedificari ecclesias et oratoria, ex quibus religionis nostrae quasi radii reluceant. Et extra urbem Nagoyam, in provinciis, tres habemus stationes contra nonaginta protestantium.

Sed cur Missionarii non aedificant alias stationes? Num quis eos impedit? Nemo nos quidem. Sed ad stationem missionariam instruendam primum opus est area, deinde sacello et habitaculo Missionarii et Catechistae. Unde igitur, amabo, area emitur, quibus adiumentis aedificationes illae exstruentur, vacua si missionis arca est? Et vacua semper est! Quotiens iam

ipse cum animo reputavi meo, quid tandem esset causae, cur nos, quum nihil non temptaremus, nulli parceremus labori, tamen uberiorem aliquem fructum desideraremus tantum quod pecuniaris destituerem auxiliis! Et identidem mihi ipse respondeo: Deum optimum Maximum pro summa sapientia sua infidelium populos non paucorum Missionariorum opera, sed coniunctis totius Ecclesiae studiis imperio Christi velle aggregari, et singulorum esse deliberare, quid sibi praestandum, quam opitulandi rationem sibi ineundam esse censerent. Magna certe de Iaponia, martyrum respsa sanguine, sperare licet, si missionarius labor assiduis Christianorum precationibus et pecunario subsidio sublevetur.

A. AVENARIUS.

Regales fasti.

At longe maiora canamus.
Die xxv mens. Octobris, Asisii, celebrae nuptiae sunt inter Ioannam, tertiam Italici regis filiam, et Boris, Bulgarorum regem; post quas augusti coniuges Brundusium petivere, indeque, mari, Bulgariae, ubi princeps foemina, ovante et gratulante populo, Sophiae, Bulgarorum regina coronata est.

Liceat et nobis, qui insignem pietate et humanitate virginem cum Italibus admirati sumus, fausta cuncta ex animo ei adprecari.

Adis Abeba autem sollempni ac splendidissimo ritu ad Abyssiniae imperium evectus est Tafari princeps, qui Aile Slassie nomen assumpsit.

Foedera.

Athenis congregati recens sunt Graeciae, Jugoslavorum, Rumeniae, Bulgariaeque legati ad novum Balcanicum foedus agitandum, Societatis Nationum ad instar; cuius principia seu bases dictitant fuisse feliciter posita. Foedus aliud sanctum nunciatur inter Graecam et Turcarum rempublicam, quo utraque civitas spondet sese navales copias minime aucturam; imo, si possibile fiat, extenuaturam.

POPULICOLA.

ANNALES

Seditiones motusque civiles.

Rebellio in Brasilia exorta, quae in favorem gubernii cedere dicebatur, conclusa ex adverso fuit perduellionum victoria. Summa rerum tradita primum est Barretto, copiarum duci; deinde vero Getulio illi Vargas, qui in recentibus comitiis ad rei publicae Praesidem eligendum iacturam fuerat passus.

Ex Hispania novae seditiones nunciantur. Qui regi adversantur - popularis nempe dictionis fautores, et socialistae qui dicuntur - Matrii convenerunt ut fundamenta communis actionis iacerent. Inde in ipsa urbe capite atque Barcinone, inquieta semper civitate, civiles agitati motus, operariorum a laboribus desertiones, et alia huiusmodi, ita ut vim vi repellere oportuerit...

SOCIIS MONITUM.

Sub anni exitum, sociis quorum e memoria solvendi consociationis pretii cedit officium, per diribitoriam chartulam debitum recordabimur. Solliciti tunc saltem sint ad rationes suas nobiscum exaequandas; secus Commentarii transmisione privabuntur.

ROMA SACRA

EX SUPREMA S. CONGREGATIONE S. OFFICII

Decretum quo Sacerdos Iosephus Turmel excommunicatus vitandus declaratur, degradatur, et eius opera in Indicem librorum prohibitorum inseruntur.

Sacerdos Iosephus Turmel, ex Archidioecesi Rhedonensi in Gallia, iam anno 1892 munere docendi, quod in Seminario Maiore Rhedonensi obibat, ab Eñm Cardinali Place suo Archiepiscopo privatus est, eo quod nonnullis ex suis alumnis praesentiae reali Iesu Christi in Ssñna Eucharistia se non credere declaraverat.

Anno 1901 Eñm Cardinalis Richard, Archiepiscopus Parisiensis, de speciali mandato et nomine Sacrae Congregationis « Indicis », Sacerdotem Turmel graviter monebat ob articulos haereticos ab ipso editos in foliis periodicis *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, quorum infelix Sacerdos A. Loisy moderator erat; addito vetito, ne quid deinceps ad sacras disciplinas pertinens absque prævia approbatione ecclesiastica publici juris faceret.

Anno 1908 coram Illm ac Revmo Domino Augusto Dubourg, suo Archiepiscopo, absolute negavit se sub falsis nominibus « A. Dupin » et « G. Herzog » duos libros contra dogmata Ssñnae Trinitatis et Virginitatis Mariae, nec non contra alias Ssñnae Matris Dei praerogatiwas scripsisse, firmiter asserens cum dictis auctoribus nihil prorsus se commune habere, immo eos ne novisse quidem. Illa vero occasione, ad quamvis suspicionem a se averterendam, suo Ordinario sub die 22 Maii 1908 explicitam professionem fidei catholicae in scriptis exhibuit. Praefati duo libri, primus sub nomine « A. Dupin » vi decreti diei 25 Maii 1908 et alter sub nomine « G. Her-

zog » vi decreti diei 5 Julii 1909, in Indicem librorum prohibitorum dein inscripti fuerunt.

Ab anno 1909 usque ad annum 1911 Sacerda Congregatio Indicis septem opera Sacerdotis Turmel tribus diversis decretis, latis respective diebus 5 Julii 1909, 7 Martii 1910 et 2 Ianuarii 1911, proscriptis ac damnavit; auctor vero post singulas damnationes suo Archiepiscopo in scriptis absolute se subiciebat, declarans se doctrinae catholicae firmiter adhaerere.

Haud tamen exinde a sua nefaria opera cessavit, sed sub diversis itidem falsis nominibus alios libros aut articulos identidem edere perrexit, blasphemias in Deum continentis, haeresim propugnantes, ipsorumque religionis fundamentorum eversivos, qui ei tamquam auctori, etsi ipso pertinaciter negante, adscribabantur.

Anno demum 1929, quum ex peracta inquisitione sufficientia collecta essent argumenta ad Sacerdotem Turmel plurium horum operum sub diversis nominibus editorum tamquam verum auctorem designandum, ab Eñm Cardinali Charost, Archiepiscopo Rhedonensi, de mandato Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, regularis instructus est processus, in quo Sacerdos Turmel, constitutus subiectus diebus 10, 20, 21, 23 Decembris 1929 et 10 Ianuarii 1930, et non obstantibus suis firmis, iteratis, immo et iuratis negationibus, de reitate convictus, poena suspensionis a divinis mulctatus est sententia die 23 Ianuarii 1930 lata et in fasciculo *Semaine Religieuse du Diocèse de Rennes* die 25 Ianuarii 1930 edita.

Paulo antequam ei suspensio a divinis intimaretur, infelix hic Sacerdos suam reitatem fortiter negare pergens, Eñm Archiepiscopo declaravit se libenter esse paratum professionem emittere fidei catholicae; paucis tamen diebus post, iam a divinis suspensus, ad editorem Rieder manuscriptum misit alterius voluminis operis *Catéchisme pour adultes* in eum finem evidenter conscripti religionem christianam oppugnandi et atheismum propagandi.

Quum tandem se manifeste detectum perspisset, duabus epistulis diebus 25 Martii et 1 Aprilis currentis anni ad Eñm Cardinalem Charost datis, Sacerdos Turmel confessus est se plurimos articulos et quatuordecim opera edidisse sub sequentibus quatuordecim falsis nominibus:

Louis Coulange — Henri Delafosse — Armand Dulac — Antoine Dupin — Hippolyte Gallerand — Guillaume Herzog — André Legard — Robert Lawson — Denys Lenain — Paul Letourneur — Goulven Lézurec — Alphonse Michel — Edmond Perrin — Alexis Vanbeck.

Ut facile est intelligere, ex tot libris et articulis sub diversis nominibus prodeuntibus, haeresim ac impietatem propugnantibus, legitima orta est suspicio ne in Gallia totidem adessent Sacerdotes qui fidei catholicae adversarentur; quod quidem clero Gallico gravem profecto et manifestam iniuriam inuinebat.

Quum igitur Sacerdos Turmel quadraginta iam abhinc annis ideas catholicae fidei contrarias expresserit, et pluries monitus, poenitentia ab auctoritate ecclesiastica plexus, prout ex dictis constat, non resipuerit, necnon quotidie Sacrum litare sit ausus, Eñi ac Rñi Patres rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in Plenario Conventu Feria V, loco IV, die 6 Novembris 1930 habito, procedendi formam Supremi S. Tribunalis S. Officii propriam ad normam can. 1555 sequuti, praeauditio RR. DD. Consultorum voto, decreverunt:

1. Duodecim opera Sacerdotis Iosephi Turmel, quorum tituli infra notantur, sub diversis nominibus edita, sed ab ipso uti propria agnita, praeter alia duo iam damnata et in Indicem relata, tamquam praedamnata habenda esse atque in Indicem librorum prohibitorum esse inserenda:

Louis Coulange, *La Vierge Marie*, Paris, Rieder, 1925. — Id., *La Messe*, Paris, Rieder, 1927. — Id., *The Life of the Devil*, London, 1929 — Id., *Catéchisme pour adultes* (2 voll.), Paris, Rieder, 1929-1930. — Henri Delafosse,

Le Quatrième Evangile, Paris, Rieder, 1925. — Id., *Les écrits de Saint Paul: L'Epître aux Romains*, Paris, Rieder, 1926. — Id., *Les écrits de Saint Paul: La première Epitre aux Corinthiens*, Paris, Rieder, 1926. — Id., *Les écrits de Saint Paul: la seconde Epitre aux Corinthiens*. *Les Epîtres aux Galates, aux Colossiens, aux Ephésiens, à Philémon*, Paris, Rieder, 1927. — Id., *Les écrits de Saint Paul: L'Epitre aux Philippiens*. *Les Epîtres aux Thessaloniciens*. *Les Epîtres Pastorales. L'Epitre aux Hébreux*. Paris, Rieder, 1928. — Id., *Lettres d'Ignace d'Antioche*. Traduction nouvelle avec introduction et des notes. Paris, Rieder, 1927. — André Lagarde, *The Latin Church in the Middle-Age*. Edinburgh, 1925. — Edmond Perrin, *Saint Thomas d'Aquin, Somme Théologique*. Volls. I-II: *Dieu*. Traduction nouvelle avec une introduction et des notes. Paris, Rieder, 1927-1929.

2. Ipsum, iam incursum in excommunicationem latae sententiae ad normam can. 2314, 1, 1, nunc excommunicatione nominatim ac personaliter damnari, prout vi praesentis decreti damnatur; omnibus plecti poenis publice excommunicatorum; atque insuper vitandum esse et ab omnibus vitari debere;

3. Eumdem etiam degradationis poena cum omnibus iuris effectibus subiici;

4. Ab excommunicatione vero, de qua supra, ipsum absolutum non iri, nisi datis antea verae resipiscentiae signis, et retractatis formiter omnibus suis erroribus per declarationem a S. Officio probandam et publici iuris faciendam. Quibus tantum praestitis et non aliter, ipsum posse ad Sacraenta more laicorum iterum admitti.

Et eadem Feria V Ssñmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori concessa, relatam Sibi Eñorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit atque publicandam iussit.

Praeterea, per Decretum d. 19 mens. Novembris 1930 damnata, proscripta et in In-

dicem librorum prohibitorum inserta sunt opera a PAULO ROUÉ edita quibus tituli:

Le Procès de Jésus, Etude historique et juridique. Paris, André Delpeuch, Editeur;

Le Procès de Judas dit l'Iscariot. Paris, Edition de l'Epi;

Code de l'Union Libre (Amants - Maîtres-ses - Enfants naturels). Paris, Librairie de Droit Usuel Pratique;

Traité de l'Annulation du Mariage Religieux. Paris, Etienne Chiron, Editeur;

Mon formulaire d'actes sous-seings privés. Paris, Librairie de Droit Usuel.

O MAR. 4V

VARIA

Leo, Ursus et Vulpes.

Quum in hinnulum forte unum eodem tempore Leo et Ursus incidissent, uterque illo potiri volens, acerrime secum conflictari coeperunt, atque ita alter affixit alterum, ut, oborta vertigine, ambo in terra prostrati iacerent. Vulpecula autem, quae eventum pugnae exspectabat, quum vidisset illos viribus defecisse, hinnulum relictum in medio, ipsa, illis semiaperiatis oculis intuentibus, abstraxit.

Quod quum illi prohibere non possent:
— Infelices nos igitur, — intercedentibus verbis inquiunt — vulpeculae causa dimicando perimus.

Fabula docet saepe de aliorum laboribus fructum alios percipere.

Iocosa.

— Ohe, Tucci, ecquod passus es infotunium?

— Nullum equidem.

— Atqui dexterum brachium tuum video in fasciola de collo dependens...

— Quia hodie in schola pensum in tabula litteraria publice mihi scribendum erat!

Tuccius post grammatices, sapientiae suae in physicis disciplinis periculum facit.
Rogat Magister:

— Loquere de declinatione acus magneticis.

— Quaeso, grammaticae quaestiones iam mihi propositae fuere, neque respondendum mihi ulterius est de declinacionibus!

Aenigmata

I.

Sole calente nimis praesto tibi frigora grata;
Si me retro legas, ubera significo.

II.

Clangorem tollens oblecto militis aures.

Inseritur mihi rho? Trepidum designo tu[multum].
Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Bar - ba - rus*; 2) *Mentum, Momentum, Numen, Monum[entum]*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. E. Io..., *Cervera*. — Palestrae tuae fasciculum primum post secundum his tantum diebus accepi. De ea dicam in proximo numero.

Cl. v. G. Pod..., *Mutinae*. — Per pecuniae summam a te recens missam, rationes apud Administratorem nostrum exaequisti cum anno MCMXXXI.

Cl. v. R. Ri..., *Berolini*. — Carmina acceptimus, sed nimis personalia sunt, ut in nostris paginis vulgentur.

Cl. v. I. CAC..., *Neapoli*. — Carmen de Ioanne Bosco suo tempore edemus.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

